

reddidisti. Debebunt tibi quippe, debebunt deinceps templæ
celebritatem, scholæ doctrinam, bibliothecæ nitorem, concilia-
bula & curiæ judiciorum sanctitatem, ac restorationem su-
am & cultum quæcunque negligentia superiorum temporum
corruerat. Te ordines civitatum, corpora negotiantium,
artificum collegia nunquam non loquentur. Tibi studia lite-
rarum, alibi ad exitium & barbariem properantia, magis hic
magisque efflorescent. Tibi serent agricolæ, frumentarij
annonæ consulent, nautæ & ratium exercitores navalia repetent,
vela explicabunt, ex oris tuis solvent, ut ditiores revertantur
ex alienis. Tibi urbes, tibi muri & ædificia vetustate consum-
pta in meliorem faciem opere & cultu restituentur. Te agri,
te saltus, te flumina imperij tui, te beata tuo munere tot regio-
num tellus resonabit. Ingentia vero facta tua, Rex victoriosissi-
mæ, quoniam non versibus aliquot, ijsque celeriter ac quodam
festinandi pruritu effusis, ut ego divinæ potius clementiæ tuæ,
mihi satis cognitæ, quam ulla ingenij fiducia, facere ausus sum,
delibanda sunt, sed majori cum cura dicenda, adeoque memoriæ
hominum sempiternæ & monumentis doctorum virorum im-
mortalibus commendanda: id tibi vovemus unice, ut quando-
quidem hæ quibus sæculum illustras cœlestissimæ dotes tuæ ver-
bis nullis describi satis, nullis coloribus depingi, nullo ære au-
rore exprimi possunt, beneficio saltem scriptorum suorum ex-
cellentia doctrinæ studiis ingenia evectas supra celitudinem for-
tunæ tuæ & quorumvis diademata virtutes tuas vetustati nun-
tient, Posterisque ostendant, extitisse etiam hoc ævo, pessi-
mo eo bonarumque omnium rerum vacuo, exa-
ctum Optimi ac Fortunatissimi Principis
exemplar.

MART,